Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

R. P. D. Millino Constantien, Praepositurae, Super Attentatis

Mellini, Benedetto

Romae, 1730

urn:nbn:de:bsz:31-11941

Visual Library

(Joannes Albertus de Goldenast)

R. P. D.

MILLINO

[Benedetto]

Constantien. Præposituræ.

Super Attentatis.

Lunæ 6. Februarij 1730.

IN possessionem Præpositurae Ecclesiæ Collegiatæ Sanctorum Stephani, & Nicolai cum induceretur Ioannes Albertus de Goldenast, qui eius prouisionem à Sancta Sede reportauerat, nonnullæ ipsum inter, & Capitulum natæ sunt controuersiæ, prima super traditione clauium, quam illi

(1730)

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

illi idem Capitulum recusabat, secunda super competentia duplicis Voti decisiui, cùm Præposituræ tùm Canonicatus ibidem ab eo possessi nomine, quæ paritèr impugnabatur à Capitulo, & tertia super fructibus Præposituræ, quos per annum à die captæ possessionis inchoandum applicari debere Fabricæ Ecclesiæ idem Capitulum prætendebat.

Quas controuersias amicabilitèr dirimi posse diffidens Ioannes Albertus obtinuit cognoscendas delegari Sacro Auditorio per Commissionem specialem mihi directam, deindeque præsentari curauit Capitulo Litteras Citatoriales cum Inhibitione, quibus non obstantibus cùm excluderetur à perceptione fructuum Præposituræ, & partis etiam fructuum Canonicalium promouit aduersus Capitulum Instantiam pro purgatione Attentatorum, & decretum fauorabile fuit assecutus vnà cum Mandato, cui parere renuente Capitulo petijt relaxari contra ipsum Declaratoriam. Verùm quia Capitulum nedum se opposuit relaxationi Declaratoriæ, sed etiam controuertere cæpit attentata disputatum fuit Dubium ex præscripto Dominorum ità conceptum = *An constet de Attentatis, ita vt sit relaxanda Declaratoria* = prodijtque resolutio affirmatiua iuxtà modum infra explicandum quoad attentata, negatiua verò quoad Declaratoriam.

Pro eo enim, quod respicit primam resolutionis partem moti sunt Domini, quia cùm Capitulum impediuerit Ioanni Alberto perceptionem fructuum, posteaquam sibi fuerant præsentatæ Litteræ Citatoriales cum Inhibitione à dicto Ioanne Alberto expeditæ, dicitur contempsisse maiestatem Iudicis inhibentis, qua ratione notam attentati effugere non potest *Lancellot. de Attentat. part. 1. cap. 20. ampl. 51. à num. primo, & seqq., Rot. coram Manzned. decis. 787. num. 2., & in Cracouien. Spolij, & Attentatorum prima Iulij 1726. §. fin. coram R.P.D. meo Corio.*

Non attenta excusatione in ecposita quod Capitulum virtute dispositionis Statuti Capitularis reperiretur in quasi possessione Iuris retinendi nouis Prouisis fructus per annum à die captæ possessionis numerandum, eisque applicandi Fabricæ Ecclesiæ, ideoque continuando hinc quasi possessionem non inciderit in attentata ex regula qui continuat non attentat. de qua *Glos. in cap. Non Solum de Appell. in 6., & in Clem. 2., vt lit. pend., Rot. coram Verall. decis. 52. part. prima, & coram Merlin. decis. 10. num. primo*, quia cum lis, & inhibitio super ipsa possessione eiusque continuatione versaretur regulæ prædictæ locus esse non poterat, ne aliàs Iudicium fieret elusorium iuxta limitationem, de qua *Rip. in cap. Cum magister Ferrarien-*

ZP
042B62, 10, g RH

riensis num. 193. *vers. Ad istud respondeo de Constitution.*, *Card. de Luc. de Iudic. disc.* 18. *num.* 44., *Rota coram Card. Cerro*, *decis.* 159. *num.* 8. *decis.* 214. *num.* 10., *decis.* 405. *num.* 8., *&* 9., *& in Recent.*, *decis.* 132. *num.* 9. *part.* 11.

Et si vero possessio eiusque continuatio à Capitulo prætensa excusare ipsum non valuit ab attentatis, effecit tamen vt in mitiorem pœnam eorum purgationis per viam nullitatis condemnaretur, qualiscunque enim eadem esset possessio, cum tamen inniteretur dispositione statuti, & à Ioanne Alberto impugnaretur dumtaxat quoad computationem temporis, probabilem videbatur Causam subministrasse eidem Capitulo cur posset opinari licere sibi sine contemptu Iudicis inhibentis illum arcere à fructuum perceptione, quæ quidem Causa omnem eluit suspicionem doli, mouerque in consequens Iudicis arbitrium, vt omissa purgatione rigorosa in mitiorem per viam nullitatis, & reductionis omnium in pristinum deflectat, ex animaduersis per *bon. mem. Ansald. in annot. ad decis.* 87. *num.* 35., *Rot. in* Rauennaten. *Fideicommissi* 30. *Iunij* 1727. § *fin. coram* R. P. D. *meo Crescentio, in Bononien. Manutentionis* 9. *Aprilis* 1728. §. *fin. coram me*, & optimè *in Burgen. Præeminentiarum super Nouis attentatis* 26. *Iunij* 1726. §. *fin. coram* R.P.D. *meo Ratto*.

Huius autem mitioris purgationis attentatorum per viam nullitatis effectus erit vt Capitulum reficere debeat Ioanni Alberto expensas Iudiciales in hanc Causam attentatorum factas, non verò extraiudiciales, quæ in rigoosa tantum purgatione refici solent ex notatis per *Card. de Luc. de Tutor. disc.* 16. *num.* 11. *Rot. coram Emer. Iun. decis.* 1. *sub. num.* 13. *in rec. decis.* 80. *num.* 7. *part.* 13., *& in Bugen. Iurisdictionis seù visitationis de Oña super nouis attentatis Archiepiscopi* 26. *Iunij* 1722., & insuper, vt eidem Ioanni Alberto restituantur à dicto Capitulo fructus omnes, tùm Præposituræ, tùm Canonicatus sibi retenti, ac denegati à die præsentatæ Rotalis inhibitionis *Rota coram Bich. decis.* 642. *numer.* 12. *in recen. decis.* 177. *numer.* 5. *part.* 11., *& in Romana Attentatorum* 16. *Maij* 1707. §., *Et secunda coram bon. mem. Ansaldo*.

Quoad secundam dubij partem ratio negatiæ resolutionis stetit in eo quod detecta in præsenti Iniustitia mandati iniungentis rigorosam purgationem attentatorum, non poterat Capitulum veræ, ac positiuæ Contumaciæ, peruicacisque inobedientiæ coargui, sine qua ad extremum atque grauissimum relaxationis declaratoriæ remedium non est procedendum

Cap.

1764.

Cap. contingit il secondo cap. sacro de sentent. Excom Rota coram Coccin. decis. 1093. numer. primo decis. 1796. numer. 16. coram Caprarar. decis. 444. num. 3., & in Legionen. Censurarum 11. Ianuarij 1717. §. fin. coram bon. mem. Lancetta.

Et ità vtraque &c.

ROMÆ, MDCCXXX.

Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.
Superiorum permissu.

Hl. j.